

Ob. 122, 6



1898 \$.
1898 \$.

INDEX LECTIÖNUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCLXXXVIII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDEDIT PROF. DR. ANTONII KRANICH COMMENTATIO APOLOGETICA:
QUIBUS DE CAUSIS ECCLESIA PER SE IPSA SIT MOTIVUM CREDIBILITATIS ET
DIVINAE SUAE LEGATIONIS TESTIMONIUM (PARTICULA II).

BRUNSBERGAE.
TYPIS HEYNEANIS (G. RIEBENSAHM).
1898.



LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. WILHELMUS WEISSBRODT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



LYCEI REGII HOSIANI BRUNSERGENSIS
RECTOR ET SENATUS
CIVIBUS SUIS
S.

Quibus de causis Ecclesia per se ipsa sit motivum credibilitatis et divinae
suae legationis testimonium (Particula II.).

Septem abhinc semestria, quum commentationem vel potius prooemium Indici Lectionum nostrarum praemittendum edere mihi propositum erat, fidem nostram christianam niti permagnis motibus credibilitatis inque firmissimo sistere fundamento, unde sit obsequium rationabile, pro certo affirmavi et demonstrare jam coepi. Motiva autem quae dixi credibilitatis non ea modo sunt. quae ad revelationem divinam probandam pertinent, verum etiam illa, quae ex proprietatibus et effectibus Ecclesiae catholicae repetuntur juxta s. Synodi Vaticanae decretum illud¹⁾: „Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.“ Exponenda vero hac data scribendi occasione ea tantum suscepi, quae a Synodo Vaticana proponuntur. Et quoniam in prima quaestiuncula mea de admirabili propagatione atque de invicta stabilitate Ecclesiae uberius dis- putavi, sequitur, ut nunc, qua de causa Ecclesia propter eximiam suam sanctitatem sit ipsa motivum credibilitatis, paulo copiosius explicem.

Quae notio verbo sanctitatis subjecta sit, si quaerimus, videtur dicendum, sanctitatem esse proprietatem aut virtutem internam hominis aut qualitatem rei internam; et propterea non licere in hac excellentia animae motivum credibilitatis, quod haud dubie aliquid sensibile vel visibile esse debeat, collocare. Id non nego, sed nihilominus Ecclesiam ipsam etiam ob suam sanctitatem signum suae divinae legationis esse, et affirmo et probo. Atque id graviter dico, Ecclesiae sanctitatem, ut quidem motivum credibilitatis re vera sit, non intellegendam esse sensu qualitatis intrinsecae, sed prorsus proprietatis externae atque necesse esse, ut haec nota Ecclesiae appareat in conspectu omnium gentium seseque exhibeat in Ecclesiae elementis et rebus et factis sensibilibus. Sed quidnam est, quo Ecclesia nobis visibiliter vel sensibiliter se praebat sanctam non solum nostra aetate sed omnibus temporibus

1) Sess. III. cap. 3.

antecedentibus? Neque enim in hac re interest, utrum nosmetipsi propriis oculis sanctitatem Ecclesiae cernamus, an eam proprietatem intuitu historico, qui aequivalet visioni, intellegamus. Profecto Ecclesiae sensui historico intellectuali visibilis est unaquaque aetate. Recte igitur res proposita nisi tota amplitudo ejus circumspicitur simulque intra fines suos retinetur, tractari non potest; quocirca, quas partes Ecclesia *visibilis* contineat, primum determinandum est; deinde, quomodo Ecclesiae sanctitas externa sit intellegenda, facile cognoscetur.

Jam vero in notione Ecclesiae visibilis, cum qua ejusdem pars invisibilis ita est conjuncta atque coagmentata, ut una sit, continentur doctrina, magisterium, membra, disciplina ac vita christiana, cultus divinus, hierarchia et regimen. Quae Ecclesiae partes atque elementa quam sancta excellentiaque sint, maxime dignoscitur, si, quid Ecclesia valeat ad homines sanctos beatosque faciendo atque praesertim quatenus sit principium ac norma ad instituendos et conformandos gentium mores, constituitur.

Quod jam ad doctrinam Ecclesiae attinet, tota in eo est, ut damnet, reprobet, prohibeat, delect peccatum, virtutem vero laudet, commendet, jubeat eamque ut sibi comparent omnes homines quam maxime invitet, moneat, compellat. Bene vero s. Augustinus doctrinam Ecclesiae moralem complectens haec scribit¹⁾: „Christianis haec data est forma vivendi, ut diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente, deinde proximum nostrum tamquam nosmetipsos.“ Cui Ecclesiae doctrinae quanta insit vis et gravitas, etiam magis apparet, si dogmata, e quibus derivatur doctrina moralis, et imprimis attributa Dei, sanctitas Domini Nostri Jesu Christi, qui dedit nobis exemplum, et maxime dogmata eschatologica spectantur atque ponderantur. Sed Ecclesia non solum laudat postulatque virtutem, monet ad pie sancteque vivendum, verum etiam dicit se possidere subsidia ac media, quibus si quis ea rite adhibet, ita sanctificatur, ut re vera sanctus et habeatur et sit. Sic enim ex. gr. docet s. Synodus Tridentina:²⁾ „ . . . quae (justificatio) non est sola peccatorum remissio sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. Unde homo ex injusto fit justus et ex inimico amicus . . . Demum una formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes . . .“ Et hanc doctrinam, juxta quam homo in Ecclesia vere sanctificatur, omni aetate in Ecclesia viguisse tamquam rem a Deo Redemptore haereditate acceptam, ss. Patrum opera et aliorum Conciliorum decreta aequa ac s. Scriptura testantur. S. Augustinus quidem, quo haud scio an nullus alias Ecclesiae doctrinam plenius intellexerit atque gustaverit, ejusdem characterem atque praestantiam sic enunciat Ecclesiam alloquens³⁾: „Merito Ecclesia catholica, mater Christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cuius adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime collendum praedicas . . . etiam proximi dilectionem atque caritatem ita completeris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis aquid te medicina praepolleat . . . Merito apud te divina preecepta late diffuse servantur.“

Sed quamvis Ecclesiae sanctitas ex ejus doctrina, quae est ex media laude Ecclesiae visibilis, plane perspiciatur, gravioris tamen momenti ad rem quae agitur explicandam atque illustrandam ista habenda est quaestio, membrane Ecclesiae in vita et moribus suis virtutem et sanctitatem pree se

¹⁾ De moribus Ecclesiae catholicae, cap. XXX.

²⁾ Sess. VI. cap. 7; cf. ibid. can. 11.

³⁾ L. c.

ferant. Neque enim quisquam dubitaverit, quin *virtus* animam faciat optimam.¹⁾ Frustra autem laboraremus in laudanda Ecclesiae doctrina, si, quod haec doctrina est quodque promittit, id non efficeret factisque comprobaret. Quam ob rem quid valuerit valeatque Ecclesia doctrina et mediis adhibitis, videndum atque ad quaestionem nostram absolvendam historia magistra utamur necesse est.

Non difficile quidem est ostendere, omni aetate omnique loco permulta Ecclesiae membra sancte vixisse bonosque mores exhibuisse; maxime tamen, quem influxum Ecclesia ad emendandos hominum mores exercuerit, intellegi puto, si mores, quos gentes, quae a paganismo ad Ecclesiam transferunt, ante et post conversionem suam gesserunt, respiciuntur atque conferuntur. At ne objicias, si in cultarum gentium ethnicarum, quae ad Christi cultum se converterunt, vitam ac mores hic afferrem comparandi causa, emendationem illam etiam scientiis ac litteris fieri potuisse, praecipue ad illas nationes te revocare malim, quae scientiis artibusque omnium consensu praestantissimae fuerunt, scilicet ad veteres Graecos et Romanos.

Jam vero scriptores et christiani et ethnici quasi uno ore affirmant, mores gentium ethnicarum et imprimis Graecorum et Romanorum admodum fuisse depravatos ac sceleratos. Primus hujus rei testis est s. Paulus Apostolus ipse, quum ait²⁾: „(Propter quod) tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium et servierunt creaturae potius quam Creatori . . . Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae . . .“ Et Patres Ecclesiae qui multum in vituperandis ac refutandis facinoribus moribusque gentium ethnicarum versantur, facere non possunt, quin flagitia quaedam atque sclera cum rebus mythologicis et sacrificiis ethnicorum conjuncta commemorent; ex. gr. Minucius Felix de hujusmodi rebus verba facit et deinde addit haec:³⁾ „ . . . quos prius taedescit impudicitiae suae quam pudescit. Pro nefas! id in se mali facinoris admittunt, quod nec aetas potest pati mollior nec cogi servitus durior.“ Et s. Chrysostomus Christum Dominum ad Apostolos sic dicentem facit:⁴⁾ „Non ad duas (quippe) urbes aut decem aut viginti neque ad unam gentem vos mitto, sicut mittebam Prophetas: sed ad omnem terram prorsus ac mare totumque mundum et hunc *varii criminibus oppressum*.“ Deinde idem s. Doctor adjungit: „Dicendo enim „vos estis sal terrae“ ostendit universam hominum infatuatam esse naturam et peccatorum vi corruptam.“ Sed quoniam scriptores christiani nihil prodesse enumerare sclera gentium ethnicarum nisi remedium suppetat et applicetur, non ignorant, quoties efferunt laudibus effectus Ecclesiae qui in emendatis hominum moribus cernuntur, etiam disserere solent de statu morum ethnicorum eumque comparare cum eximia sanctitate morum christianorum. Quo in genere testimonia cumulare facile quidem, sed supervacuum est; nonnulla vero afferre, si juvet, paulo post in animo est.

Qui autem testimonia requirit scriptorum ethnicorum, legat quae scribunt Suetonius (Oct. c. 15.), Plutarchus (Arist. c. 9.), Plato (Republ. II. p. 108. De legg. XII. p. 365), Aristoteles (Polit. VII, 15), Seneca (de vitae brevit. c. 16), Ovidius (Trist. II, 1), Terentius (Eunuch. Act. III, Scen. 5), Horatius (Ep. I, 16.), Propertius (Eleg. II.): jam fatebitur, recte judicare autorem quemdam recentem sic scribentem⁵⁾: „Ubique terrarum, sola fere Palaestina excepta, postquam ipsa a Judaeis occupata est, genus humanum teste historia innumeros commentitios deos eosque nonnunquam ut turpissimorum

1) S. Augustinus, I. c.; cf. Cic., de officiis I. n. 56.

2) Rom. I, 24, sq. sq.; cf. I. Cor. 6, 9

3) In Octavio 28, sq. sq.

4) Hom 15 in Matthaeum, sub medium.

5) Ottiger, Theologia fundamentalis, I, p. 115.

flagitiorum et libidinum magistros et exemplaria hac vel illa ratione coluit . . .“ et alio loco:¹⁾ „Im pudicitia inter gentiles maxime artibus ad humanitatem informatos plane inaudita et adeo horrenda fuit, ut innumerae ubique essent meretrices, atque naturae repugnans impudicissimus puerorum amor inter Celtas, inter multas Asiae gentes, inter Graecos et Romanos fuerit fere communis et publicus; connubia vero cum feminis magis magisque rara fierent, et ita quidem, ut in Graecia et postea etiam Romae matrimonia legibus praecipienda essent . . .“ Paene taedet audire vel legere quae in celebratione deae Florae ludorum scenicis facta esse s. Augustinus hac enarrat ratione:²⁾ . . . cuius (deae Floriae) ludi scenici tam effusiore et licentiore turpitudine celebrantur, ut quivis intellegat, quale daemonium sit, quod placari aliter non potest nisi illic, non aves, non quadrupedes, non denique sanguis humanus sed multo scelestius pudor humanus tamquam immolatus intereat.“

Postquam igitur mores ethnicorum saltem obiter strinximus atque ante oculos posuimus, eosdemne Ecclesia reapse emendaverit et sanctificaverit, est perscrutandum. Sed profecto fere impossibile est omnes et singulos labores ac sudores, quos Ecclesia ad colendos ac conformandos humani generis mores per saecula omnia toto orbe terrarum subiit, hoc loco intuitu historico percensere et ne necessarium quidem hoc est, quia annales historiae omnis aetatis evidenter testantur, sanctitatem, quam Ecclesia in doctrina et praceptis suis manifestat, lucescere in vita et moribus ethnicorum ad Christi fidem conversorum. Quare sufficiat pauca testimonia non tam ad rem probandam quam ad laudandam atque illustrandam hic in medium afferre.

Ante omnia vero in promptu sunt documenta ss Patrum primaevae Ecclesiae, qui, quum ex ipsorum numero multi paganismi tenebris antea obcaecati fuissent, etiam propria experientia docti judicare poterant, quanta sit Ecclesiae vis et efficacia in emendandis ethnicorum moribus. Sic s. Justinus Martyr Christianorum castitatem, misericordiam, mutuam caritatem, amorem inimicorum magnis effert laudibus³⁾: „Qui olim“, inquit, „stupris gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur; qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito nos consecramus Deo; qui pecuniarum et passionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea, quae possidemus, in commune conferimus et cum indigentibus quibusque communicamus; qui mutuis odiis et caedibus pugnabamus, et cum iis, qui tribules nostri non essent, communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc postquam Christus apparuit, convictores sumus et pro inimicis oramus; et qui nos inquis odiis persequuntur, eos suadendo flectere conamur, ut qui secundum praeclara Christi praecepta vixerint, bonam spem habeant eadem se ac nos a dominatore omnium Deo consecuturos.“ Et Tertullianus, acerrimus ille defensor fidei christianae, qui verebatur dicere quod in vita ac moribus Christianorum non invenerat quodque ab ethnicis facile repelli poterat, in libro suo apologetico et ad praesides Romanos dato monstrat, in Christianorum virtutibus, a quibus ethnicorum mores prorsus abhorreant, argumentum ad defendendam religionem christianam inesse maximum easque praeisdibus ethnicis rem publicam administrantibus ante oculos ponit. Laudat enim⁴⁾ „diligentissimam et fidelissimam castitatem“ Christianorum atque testatur, eam tantam esse, ut quidam virginalem continentiam per totam vitam usque servent. Alio loco refert⁵⁾ virgines christianas magis timuisse, si ad lenones quam si ad leones damnarentur. Idem autor describens

¹⁾ L. c., p. 119. Cf. Doellinger, Heidenthum und Judenthum, p. 162, 169, 392, 398, 449, 504, 632 sq. Ratzel, Völkerkunde I. p. 614. Schneider, Die Naturvölker; Leland, La révélation prouvée par le paganisme, ch 4 et alibi.

²⁾ Ep. 91, n. 5; cf. Clem. Alex., cohort. ad Gentes, c. 12; Origenes, c. Cels. V, 27; Tertull. Apol. c. 14, Lact. 1, 8.

³⁾ Apolog. I. n. 14.

⁴⁾ Apolog. c. 9.

⁵⁾ L. c., c. 50.

cultum Christianorum enarrat, eos orare pro imperatoribus, eorum ministris, pro eorum quiete; eos insuper in illis conventibus sponte stipem conferre in gratiam egenorum, orphanorum aliorumque qui ex ipsis variis miseriis afflicti erant, adeoque inter se amare, ut ipsi gentiles admirantes dixerint: „Vide, ut invicem se deligant.“ Locupletissimus testis porro est Minucius Felix, qui scite ethnicorum vitae sceleratae vitam heroicem sanctam Christianorum opponens hisce illos alloquitur verbis¹⁾: „Memoriae et tragoediac vestrae incestis gloriantur, quas vos libenter et legitimis et auditis. Sic et deos colitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore conjunctos. Merito igitur incestum penes vos saepe reprehenditur, semper admittitur. Etiam nescientes miseri potestis in illicita proruere . . . At nos pudorem non facie, sed mente praestamus . . . Convivia non tantum pudica colimus, sed et sobria: nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus. Casto sermone, corpore castiore, plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius quam gloriantur. Tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio.“ Et de amore, quo Christiani se invicem diligebant, haec adjicit verba²⁾: „Sic (nos) mutuo, quod doletis amore diligimus, quoniam odisse non novimus. Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines . . . Vos enim nec invicem agnoscitis, et in mutua odia saevitis: nec fratres vos nisi sane ad parricidium recognoscitis.“

Lactantius porro ita in dijudicanda ac comparanda philosophorum ethnicorum et Christianorum doctrina versatur, ut quatenus utraque polleat in moribus hominum instituendis, accurate perpendat atque enucleet. Ecce ejus verba³⁾: „Quod ipsi (ethnici philosophi) facere non putuerunt . . . sola haec efficit doctrina coelestis, quia sola sapientia est. Illi scil. persuadere cuiquam poterunt, qui nihil persuadent etiam sibi? Aut cujusquam cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coercent, quum ipsi et cedant vitiis et fateantur plus valere naturam? Dei autem praecepta, quia et simplicia et vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus: paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem, jam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris et mortis: jam cruce et igne et (Phalaridis) taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem et sanguinis appetentem: jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem: continuo et prudens et innocens erit. Tanta divinae sapientiae vis est, ut in hominis pectus infusa matrem delictorum stultitiam uno semel impetu expellat.“

Certe tamen scitius atque praeclarus, quam scriptores, quos hucusque diputantes feci, s. Augustinus ethnicorum et haereticorum moribus cum Christianorum compositis collatisque explanavit, quanta efficacia Ecclesia catholica in emendandis hominum animis dignendisque ab iis atque exercendis gradu heroico virtutibus praepolleat atque operetur. Hae enim sunt, quas affert, virtutes, hi, quos enumerat, actus heroici⁴⁾: „Continentia usque ad tenuissimum victum panis et aquae et non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies perpetuata jejunia, castitas usque ad conjugii proliisque contemptum, (quod) patientia usque ad cruces flamasque neglectas: (quod) liberalitas usque ad patrimonia distributa pauperibus, (quod) denique totius hujus mundi aspernatio usque ad desiderium

¹⁾ Octavius, 31.

²⁾ L. c.

³⁾ Instit. div. III, 26.

⁴⁾ De utilitate credendi, c. 14.

mortis intenditur.“ Pariter alio loco, ubi, Ecclesiae laudata doctrina, Ecclesiam ipsam sic alloquens pergit¹⁾): „Merito tibi tam multi hospitalis, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, multi usque adeo Dei amore flagrantes, ut eos in summa continentia atque mundi hujus incredibili contemptu etiam solitudo delectet.“ Deinde genera Christianorum in sanctitate degentium persequitur singula ac primum quidem laudibus extollit Anachoretarum, Coenobitarum, seminarum sacerdotalium vitas perfectas. Sed et hic liceat uti verbis s. Doctoris: „Quis (enim) nescit, summae continentiae hominum Christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, et in Oriente maxime atque Aegypto, quod vos nullo modo potest latere.“²⁾ De Anachoretarum „qui desertissimas terras incolunt perfruentes colloquio Dei . . . et ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi“, virtutibus, non disserit s. Augustinus fusius neque eas describere vult singillatim, quia hoc longum et supervacuum putat; potius satis habet admiratione plenus, vita Anochoretarum considerata, sic exclamare³⁾: „Hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum et honorandum videtur, oratione nostra videre qui potest?“ Tum ad vitam Coenobitarum laudibus ornandam transit. Quae virtus in magno horum Christianorum numero non inveniatur, omnino nullam esse censere videatur Augustinus. „Quis“, inquit,⁴⁾ „non illos miretur et praedicet, qui contemnit atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimam congregati simul aetatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt.“ Eximia autem laude dignos judicat s. Doctor eos, qui „denis praepositi sunt“ quique propterea vocantur „decani.“ „Hi vero patres non solum sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis, quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in temperando voluntate.“ Praeterea idem pulcherrime disputat aliquantulum de Coenobitarum vitae ratione et denique, ut quae dixit fide digna esse significet, subjicit haec⁵⁾: „Non opus est plura de re notissima dicere.“

Simili modo celebrat Augustinus vitam seminarum Deo sollicite casteque servientium, quae habitaculis segregatae ac remotae a viris quam longissime decet, pia tantum illis caritate junguntur et imitatione virtutis.⁶⁾ Quarum disciplinae satis collaudandae vix par esse sibi videtur, siquidem vera sunt existimanda haec ejus verba:⁷⁾ „Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum, si laudare velim, neque digne valeo, et vereor ne judicare videar, per se ipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putavero.“

At ne quis ex iis quae dicta sunt, conjiciat, Ecclesiae sanctitatem in iis modo membris ipsius manifestari posse, quae ab hujus mundi illecebris segregata in solitudine degunt, s. Augustinus eorum quoque Christianorum mores sanctos esse ostendit, qui in publico vivunt. In hoc genere sic scribit:⁸⁾ „Neque enim ita sese anguste habent Ecclesiae catholicae mores optimi, ut eorum tantum vita, quos commemoravi, arbitrer esse laudandos. Quam enim multos episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quam multos presbyteros, quam multos diaconos, et hujus modi ministros divinorum Sacra-

1) De moribus Ecclesiae catholicae, l. c. 30, n. 64.

2) L. c. cap. 31, n. 65.

3) L. c., n. 66.

4) L. c. n. 67.

5) L. c.

6) L. c. n. 68.

7) L. c.

8) L. c. cap. 32, n. 70.

mentorum, quorum virtus eo mirabilior et majore praedicatione dignior videtur, quo difficilis est eam in multiplici hominum genere et in ista vita turbulentiore servare. Non enim sanatis magis quam sanandis hominibus praesunt.¹⁾ Postremo s. Augustinus iis qui supra propter optimos suos mores laudibus ornati sunt, aliud laudabile Christianorum genus annumerat, eorum, puto, qui „in civitatibus degunt a vulgari vita remotissimi“ quique ejus approbationem ita movent, ut haec dicat¹⁾: „Vidi ego diversorum sanctorum, non paucorum hominum . . . Romae etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentia et divina scientia praepollentes ceteris secum habitantibus praesunt, christiana caritate, sanctitate et liberalitate viventibus.“

Noli autem mirari, lector benevole, tamdiu me in s. Augustini testimoniosis indagandis esse versatum; alioquin ejus ipsius auctoritate hac in re ab omnibus maximi aestimata putarem me in periculum venisse, ne reprehenderet.

Ceterum quin scriptores, quorum testimoniosis in dissertatione mea usque huc usus sum, ea modo tradiderint quae vere facta sunt vel quae ipsi suis oculis viderunt; dubitari nullo modo potest, id quod etiam adversarii Ecclesiae catholicae confirmant. In quorum numero habeo Plinium juniores, qui quidem in celebri illa ad Trajanum de Christianis data epistola, licet non recta via, comprobant argumentationem nostram hisce verbis²⁾. „Affirmabant autem (Christiani) hanc fuisse summam vel culpae suaे vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquid obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent.“ Et ipse imperator Julianus ad Arsacium Galatiae Pontificem scribens, ut per ipsum gentiles ad bene vivendum inflammatum, Christianorum benignitatem erga peregrinos, curam ab iis adhibitam in sepeliendis mortuis et sanctimoniam vitae laudavit.³⁾ Similiter Lucianus qui, ut ex ejus libello de morte Peregrini scripto appareat, Christianorum erga martyres caritatem optime cognoverat, enarrat, Christianos ipsi in carcere inclusi magno studio inserviise, viduas et orphanos jam primo mane ad ejus carcerem affuisse, honoriatores apud ipsum in carcere sponte pernoctasse piosque sermones cum ipso habuisse, quin immo quosdam e longinquu venisse, ut ipsum adjuvarent, consolarentur atque defenserent et pecunias ipsi darent; incredibilem enim eos alacritatem generatim ostendere, si tale-quid publice fiat, tantam quidem ut nulli rei parcant.⁴⁾

Jam ex iis quae supra exposuimus dilucide appetat Ecclesiam catholicam et habuisse subsidia ad emendandos hominum mores et re vera eos emendas idque effecisse, quod in paganismo habebatur impossibile. Sed non illis solum temporibus, de quibus uberior disserui sed etiam unaquaque aetate quae secuta est Ecclesiam innumeros ethnicos ad meliora promovisse, immo ab interitu ad vitam revocasse nec non in gremio suo ingentem multitudinem eorum habuisse, qui a prima inde pueritia fide christiana imbuti virtutibus cuiusque speciei excellerent et splendore sanctitatis vitaeque perfectae clarescerent nemo ignorat. Nec mirum; nam semper vigebat vigetque illa lex, quam nuper ss. Pater Papa Leo XIII. in Litteris Encyclicis de conditione opificum editis in memoriam vocavit; ait enim: „Eadem (Ecclesia) est, quae non instruere mentem tuntummodo, sed regere vitam et mores singulorum praceptoris suis contendit;“ et paulo post: „Ecclesia pervadere in animos nititur flectereque voluntates, ut divinorum disciplina praceptorum regi se gubernarique patientur. Atque in hac parte,

¹⁾ L. c., cap. XXX, n. 70.

²⁾ Ep. 97.

³⁾ Apud Sozom. Hist. eccles. I, 16. cf. Ottiger, Theolog. fundamentalis p. 862.

⁴⁾ Luciani opp. ed. 2. Dindorf (Paris 1842) p. 691.

quae princeps est ac permagni momenti, quia summa utilitatum caussaque tota in ipsa consistit, Ecclesia quidem una potest maxime.¹⁾ Si quis vero postulet testimonia, e quibus, quanta Ecclesia fuerit emendatrix vitiorum et parens bonorum ac sanctorum morum omni aetate, recentiore non minus quam media et priore intellegitur, eum revocamus ad historiam ecclesiasticam atque imprimis ad eam illius partem quae missionum ut vocant narrat historiam: inveniet verum esse quod paulo ante diximus. Etenim vero historia teste permulti fuerunt omni tempore in Ecclesia, qui florebant probitate ac sanctitate utpote ornati eximia caritate erga Deum et proximum et inimicum, castitate, contemptu hujus saeculi, continentia, misericordia, mansuetudine, patientia, denique heroicis virtutibus. Et Ecclesiam in praedicatione s. Evangelii omnibus saeculis ac praecipue nostra aetate plurimum profecisse, non solum per nuntios catholicos audivimus sed etiam ab adversariis Ecclesiae catholicae saepenumero confirmatum videmus. Quod autem ita constat, peculiaribus argumentis stabilire supervacuum videtur.

At si quispiam forte objiciat, etiam in Ecclesia catholica esse malos Christianos, peccatores, homines sceleratos, unde argumentatio nostra labefactetur et infringatur: iam habeo quod respondeam. Primo quidem respondendum, non in eo versari inquisitionem, ut ostendatur, omnes qui in Ecclesia catholica sint, esse a peccatis *liberos virtutibusque praeditos*¹⁾, sed in eo tantum, ut probetur, eos qui juxta Ecclesiae praecepta vivant, bonos mores exhibere sancteque vivere. Neque enim in numero membrorum Ecclesiae est essentia Ecclesiae posita; quocirca non refert, utrum mille Christiani accedant an recedant, sed, ut iterum dicam, id solum agitur, utrum qui Ecclesiae plane addicti sunt, sanctos prae se ferant mores neque. Huic autem quaestioni satis fecisse mihi videor. Optime jam s. Augustinus objectionem quam modo diluimus refutavit. „Nunc“²⁾ inquit²⁾ Manichaeis, „vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiae catholicae maledicere desinatis vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat et quos quotidie tamquam malos filios corrigere studet. Sed quicunque illorum bona voluntate Deique auxilio corrigitur, quod amiserant peccando, poenitendo recuperant. Qui autem voluntate mala in pristinis vitiis perseverant, aut etiam addunt graviora prioribus, in agro quidem Domini sinuntur esse et cum bonis seminibus crescere, sed veniet tempus, quo zizania separantur. Aut si jam propter ipsum christianum nomen magis in palea quam in spinis esse arbitrandi sunt, veniet etiam qui aream purget et a frumentis paleam separat et singulis partibus pro suo cujusque merito, quod oportet, summa aequitate distribuat.“ Immo magis catholicos illos malos vel peccatores, qui in vita sua diserepant ab Ecclesiae doctrina et praeceptis, probare auctoritatem et disciplinam et sanctitatem Ecclesiae quodammodo, dicere possumus. Annon eo ipso quod illi mali et peccatores Ecclesiae matri ad bene sancteque ipsos vocanti ac moventi repugnant, argumento sunt, Ecclesiam catholicam ipsam nunquam a semita veri atque honesti recedere, magnamque dare operam excolandis regendisque hominum moribus nec non reapse in gremio suo habere bonos ac sanctos filios et filias, quibuscum mali non sint comparandi?

Deinde ne illa res quidem hic silentio praetermittenda est, quod filii Ecclesiae Christi vestigia non prementes plerumque non peiores quam eorum accusatores ac reprehensores existimandi videntur. Quis est enim qui ignoret, argui eos solere ab iis, in quos sicut in Manichaeos haec cadit s. Augustini monitio atque animadversio³⁾: „Apostolus de die in diem interiorem hominem renovari dicit (II. Cor. 4, 16), ut perficiatur, et vos a perfectione vultis incipiatur. Quod utinam velitis; sed quaeritis potius, non unde erigatis invalidos, sed unde fallatis incautos Quae tanta impudentia est,

¹⁾ Bene ait s. Augustinus (Serm. 358, de pace et veritate, n. 5): . . . non eam (Ecclesiam) contaminant humana, delicta, quam non redemit humana justitia

²⁾ De moribus Eccles. cath. c. XXXIV, n. 76.

³⁾ L c., cap. XXXV, n. 80.

perfectionem in catholicis imbecillioribus quaerere, ut inde imperitos avertas et eam nullo modo apud te iis quos averteris exhibere?“ Tale quid etiam Tertullianus haereticis suae aetatis opprobrio dat¹⁾. „Non omittam“, inquit, „ipsius etiam conversationis haereticae descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suac congruens.“

Porro nonne id quoque satis notum est, Ecclesiae inimicos, dum plerosque continentes qui ab appetitu se exteriori custodiunt et toto desiderio ad supernam patriam anhelant, aeterna praemia expectunt, pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt — hi nimurum gloriam suam non in ore hominum ponunt, sed intra conscientiam contegunt²⁾ — relinquant ac silentio transeant, de peccatore vero catholico, praesertim quum is in ignominiam notoriam ceciderit, voluptatem capientes ex ejus malo, verba facere multa atque ex eo de aliis falsam conjecturam facientes innocentes habere malos? Talis agendi ratio jam s. Augustino in haereticis obtigerat, quare ad Ecclesiam Hippensem s. Doctor sic scribit³⁾: „Ad quid enim aliud sedent isti, et quid aliud captant, nisi ut quisquis episcopus vel clericus vel monachus vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, jactent, contendant, sed non omnes posse manifestari? Et tamen etiam ipsi, quum aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur.“

Denique neminem sapientem potest effugere ilud⁴⁾: „Sensus (enim) et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua“; quae proclivitas ne iis quidem abest qui sunt in Ecclesia; inde ergo peccata, non vero ex falso principio aut ex doctrina catholica mentem hominis imbuente nascuntur; quam ob rem Ecclesiae sanctitas singulorum membrorum peccatis nec maculatur nec tollitur; immo vero, Ecclesia tollit deletque peccatum volente peccatore. Itaque jam dilabitur adversariorum objectio supra commemorata.

At sunt qui contra dicant, etiam extra Ecclesiam catholicam, id est apud infideles et haereticos inveniri virtutes bonosque mores, ut honestatem, justitiam, temperantiam, liberalitatem, celsitudinem animi, quin immo contemptum mundi et pecuniae. Non eo sum animo, ut istud negem. Sed quid? Num hinc difficultatem contra demonstrationem nostram exoriri putamus? Abest! Quamquam enim ex s. Patrum testimoniosis satis cognovimus, quam miseri pravique veterum Graecorum et Romanorum mores fuerint, et quamquam Reformatorum qui dicuntur doctrinam illam, omnia opera infidelium esse peccata et philosophorum virtutes esse vitia⁴⁾ et hominem justificatione non vere et positive sanctificari neque quidquam aliud facere posse justificatum nisi peccare,⁵⁾ prorsus cognitam habemus, concedimus tamen et cum Ecclesia catholica docemus, ethnico opera naturaliter bona esse possibilia, neque negamus, etiam ab haereticis virtutes exerceri posse. Sed hoc quod concedimus, minime pugnat contra sanctitatem Ecclesiae aut contra demonstrationem nostram, id quod plane intellegetur, si de miraculis tractabimus. Hoc loco sufficiat monere, gentiles, si faciunt quod legis est, agere secundum normam quae est rationis; et hoc est naturaliter vel ethice bonum. Quum vero extra Ecclesiam catholicam id est apud haereticos et positive infideles boni mores vel potius actiones vere christianaee certuntur, non propterea ita se res habet, quod acatholici illi extra Ecclesiam catholicam vivunt, sed

¹⁾ De praescr. c. 41.

²⁾ Cf. S. Gregor. Pap. Hom. 12 in Evang.

³⁾ Ep. 78, Ad Clerum et seniores Eccles. Hipp., n. 6.

⁴⁾ Gen. 8, 21.

⁵⁾ Cf. Baji prop. 25 damn. Cf. Trident., Sess. VI, cap. 1 et can. 7.

⁶⁾ Luther, W. W. Walch XI, 12: „Alles was du anfängst, ist Sünde, es gleisze wie hübsch es wolle, du kannst nichts als sündigen, thue wie du willst.“

quod, ab Ecclesia quamquam sejuncti, non tamen omnibus dogmatibus et praecepsis destituti sunt, quae catholica Ecclesia sola ab initio habuit et omnibus temporibus tradidit; et ob eam rem, quod faciunt bonum, id emanat ex fonte quae est Ecclesia catholica. Satis erit hic id unum memorare: Sacra Scriptura, ex qua et adversarii Ecclesiae nonnulla sumunt praecelta agendi, a quoniam profecta est nisi ab Ecclesia catholica?

Argumentatio vero nostra, qualis adhuc fuit, quamvis certa sit ac firma, magis etiam stabiliatur atque corroboraretur, si ex aliqua significatione visibili et non fallente concludere possemus, Ecclesiae sanctitatem, quae in multorum Christianorum vita elucebat atque adhuc eluet, Deo sancto vere probatam ratamque esse. Id re vera a Deo patefactum esse gaudemus. Neminem quidem, ut id primum dicam, qui s. Scripturam legit, latere potest, Deum, quod hominibus loquendo manifestat et quod ei placet in hominibus, signis et miraculis confirmare solere, ita ut ambigendi locus non sit. Enarrat enim s. Scriptura tum Christum Dominum tum alios¹⁾ ex. gr. s. Paulum Apostolum, s. Stephanum Protomartyrem ad verba sua comprobanda signa et prodigia fecisse. Et Christus ipse iis qui se essent secuturi, promisit, dona se eis et charismata esse daturum. Audiamus ejus prophetiam:²⁾ „Amen, dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet et magnorum horum faciet.“ Et iterum:³⁾ „Signa (autem) eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super aegrotos manus imponent et bene habebunt.“

Jam vero, quum hic non omnia quae de miraculis in Ecclesia singulis temporibus factis ab historia referuntur, in medium proferre et examinare possimus, saltem aliquantulum de miraculis disputemus id maxime agentes, ut, quid eadem in Ecclesiae auctoritate et sanctitate confirmanda valeant, intellegatur. Omitto tamen pugnare adversus illos infideles, qui opinione falsa capti non solum in Ecclesia miracula facta esse sed etiam, Deum esse et gubernare mundum diffitentes, miraculum fieri posse omnino negant. Eos tantummodo, qui et Christi quidem et Apostolorum miracula vera esse credunt, postea vero in Ecclesia miracula evenisse non credunt, paucis hic refellere mihi in animo est.

Atque si historiam, praeclarissimam illam magistrum, tamquam ducem sequimur, facile est id quod volumus demonstrare. Priusquam autem ex abundantia testimoniorum quae suppeditat historia, aliquot promamus, id pro certo exploratoque habendum esse memoramus, unum miraculum, quod quidem certum fideque dignum est, plane sufficere, ut argumentatio nostra sit perfecta et praepollens, quae unumquemque recta sapientem penitus convincat. Cum jure enim Reinerding argumentatur sic:⁴⁾ „Ut e miraculis his argumentum pro divina Ecclesiae missione deducere possimus, nihil plus quam miraculum unum, sed indubitatum et ad eandem missionem probandum patratum requiritur, sive hoc initio ejusdem Ecclesiae sive postea evenerit. Dicimus autem: sive initio Ecclesiae, sive postea evenerit. Etenim si Ecclesia, quae sibi usque in finem missionem Divinam collatam esse praedicat, sicuti Ecclesia catholica omni tempore praedicavit, miraculo confirmata fuerit in initio suo, eam ab hac missione excidisse jam omnino repugnat.“

Jam transeamus ad nonnulla ex testimoniis significatis excerpta, unde perspiciatur quod agitur. S. Jrenaeus, testis locupletissimus, loco quodam haereticos eo refutat, quod iis miracula

¹⁾ Marc. 16,20: Illi autem praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. cf. Act. 4,16 sgg.

²⁾ Joan. 14,12.

³⁾ Marc. 16,17.

⁴⁾ Theologia fundamentalis p. 181.

deesse ostendit, esse autem in Ecclesia catholica praedicat . . . „Tantum autem“, ait,¹⁾ „absunt ab eo, ut mortuum excitent (quemadmodum Dominus excitavit et Apostoli per orationem; et in fraternitate saepissime propter aliquid necessarium, ea, quae est in quoquo loco; Ecclesia universa postulante per jejunium et supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, et donatus est homo orationibus sanctorum:) ut ne quidem credant hoc in totum posse fieri: esse autem resurrectionem a mortuis agnitionem ejus, quae ab eis dicitur, veritatis.“

De s. Gregorio Neocaesariensi, qui propter famam et gloriam miraculorum habet cognomen Thaumaturgi, s. Basilius in libro qui inscribitur „De Spiritu sancto“ dicit haec: „Sed omnino perlóngum est viri percensere miracula, qui propter donorum excellentiam, quae in ipso operatur Spiritus in omni virtute et signis et prodigiis, ab ipsis etiam veritatis hostibus alter Moses est appellatus.“ (n. 74). Alios testes, quorum numerus permagnus est, quorumque fides in nuntiandis miraculis, quae in primaeva Ecclesia facta sunt, est prorsus certa, hic praetereo;²⁾ solius s. Augustini testimonium non praetermittendum videtur; est enim gravissimum. Atque s. Augustinus, quum aliquoties de miraculis disserat idque in diversis libris, quid de valore quidem miraculorum ad religionem defendendam pertinente sentiat, ex omnibus illis locis conjicere licet. Sed ipsene suis oculis miracula viderit, si quaesieris, caverationem habere illius tantum loci, qui legitur sic:³⁾ „Sed accepimus, majores nostros eo gradu fidei, quo a temporibus ad aeterna condescendit, visibilia miracula (non enim aliter poterant) secutos esse: per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quaereret et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit.“ Quae verba s. Augustinus ipse corrigit, vel potius, quomodo intelligi velit, explicat, quum in libro Retractationum primo haec scribit:⁴⁾ „Verum est quidem: non enim nunc usque, cum manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium: aut nunc usque, ad umbram transeuntium praedicatorum Christi sanantur infirmi; et si qua talia tunc facta sunt, quae postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipendum est, quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse, quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensem corpora (Protasii et Gervasii) Martyrum in eadem civitate caecum illuminatum fuisse jam noveram; et alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea quae cognoscimus enumerare possimus.“ Alibi s. Doctor de Christianorum virtutibus heroicis diserte loquitur earumque praestantia atque excellentia populos ad fidem moveri testatur; cui Christianorum dignitati ac sanctitati etiam clariorem affundi lucem ex miraculis. „Populi,“ inquit,⁵⁾ „probant, populi audiunt, populi favent. Diligunt postremo populi, populi suam imbecillitatem quod ista non possunt, nec sine provectu mentis in Deum nec sine quibusdam scintillis virtutis, accusant. Hoc factum est divina providentia per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes: per sanctorum praedicabilem vitam atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus

¹⁾ Adv. haeres. II, c. 31.

²⁾ Cf. apud Reinerding, I. c. p. 183 sq; Dieringer, System der göttlichen Thaten des Christenthums, II. p. 393 ssqq.

³⁾ De vera religione, c. 25.

⁴⁾ C. 13, n. 7.

⁵⁾ De utilitate credendi, c. XIV. Cf. epist. 78, n. 3; sermo 319, c. 6. n. 6 et 7. De civitate Dei lib. 22, c. 8. Postremo loco enarrat s. Augustinus, se testem fuisse nonnullorum miraculorum in translatione reliquiarum s. Stephani patratorum.

*pro temporum opportunitate miracula.*¹⁾ Et paulo post: „. . . quae (sc. Ecclesia) . . . partim etiam miraculorum majestate damnatis culmen auctoritatis obtinuit.“

Quamquam igitur s. Augustinus sua quoque aetate miracula sat saepe evenisse non ignorat, nihilominus statuendum sibi esse arbitratur, post tria priora saecula evasisse rariora miracula, cuius tamen rei causa non sit neglegenda: „Non cessat Deus attestari et novit, quomodo ipsa miracula beat commendare. Novit agere, ut magnificentur, non agere, ne vilescant.“¹⁾ Item s. Gregorius Papa affirmat, sua aetate miracula quoad numerum imminuta esse, minime vero cessasse, et cur res ita se habeat, hoc modo exponit:²⁾ „Num quidnam, fratres mei, quia ista signa non facitis, minime creditis? Sed haec necessaria in exordio Ecclesiae fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda: quia et nos, cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus: et si radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim, quod Paulus dicit: Linguae in signum sunt non fidelibus sed infidelibus. Haec etiamsi vera esse concedimus, nihilominus multa post priora saecula facta esse eaque non modo spiritualia, quae quidem tanto majora sunt quanto spiritualia . . . verum etiam sensibilia . . .“

Facile jam ex operibus eorum qui sequentibus saeculis vixerunt scriptorum testimonia colligere possem, e quibus intellegitur, nullam unquam fuisse aetatem, qua cessarint miracula in Ecclesia catholica. Sed non est, quod quae alii congeserunt³⁾ quaeque nullam habent dubitationem testimonia repetam cumulemque. Quis enim est qui nesciat, plenam, ut ita dicam, esse miraculorum vitam s. Cuthberti et Joannis, s. Romualdi, s. Francisci Assisii, s. Antonii Paduani, s. Bernardini, s. Catharinae Sinensis, s. Vincentii, S. Francisci Xav., s. Alfonsi Liguorii, aliorum? Et ut saltem mentionem faciam perennium quae appellantur miraculorum, num oblivioni datus est s. Januarii Episcopi et Martyris sanguis, qui Neapoli in ampulla vitrea concretus asservatur quique cum in conspectu capitis ejusdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri et ebullire perinde atque recens effusus ad haec usque tempora cernitur? Vix minus praeclarum est illud, in urbe Eystaett ex ossibus s. Walburgae virginis sub altari alto aedis s. Walburgae dedicatae collocatis per multa jam saecula profluere oleum miro modo per laminam lapideam.

Denique tamen etiamne recentioribus vel nostris temporibus miracula facta sint, si quis cognoscere velit, ad Acta eum revoco, quae sunt de beatificatione et canonizatione Sanctorum, ad eumque librum a Benedicto XIV. Papa editum⁴⁾, quo ratio et processus illius muneric ecclesiastici constituitur stricteque praescribitur. Quam severe procedendm sit in executione processus illius, si legeres aut videres, mirareris profecto reperiresque, nisi rigoroso examine absoluto miracula saltem duo comprobata sint, non quemquam ornari titulo Beati aut Sancti. Ita enim inquisitiones, quibus canonizatio servorum Dei praeparatur, quaeque imprimis pertinent ad statuendam atque confirmandam veritatem miraculorum, ad quae fit provocatio, longe ab errore abhorrent; atque tota haec Ecclesiae actio, quae in novo quoque casu iteratur eodemque cum rigore instituitur, adeo vim ac formam perscrutacionis atque examinationis historicae prae se fert, ut ei vix alia sit aequiparanda.

Qua de causa non mirum est hoc quod verum est: adversarios Ecclesiae ipsos persaepe professos esse veritatem miraculorum in Ecclesia catholica patratorum, sive oculis propriis ejusmodi mira-

1) Sermo 286, n. 5; cf. ep. 120, n. 5.

2) Hom. 29.

3) Reinerding, l. c.; Gutberlet, Apologetik, p. 362 sqsq; Dieringer, l. c., p. 422 sqsq.

4) De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione.

biles effectus vidissent, sive aliorum testimentiis certis convicti miracula in Ecclesia catholica facta esse agnoscerent. Liceat mihi illud solum in medium proferre quod professus est Schelling Philosophus¹⁾: „Der Protestantismus ist auch darin inconsequent, dass er die Wunder, die in der Kirche nie aufhörten, blos vor Zeiten geschehen sein lässt.“ Ex hujusmodi cognitione non paucis viam ad Ecclesiam catholicam patefactam esse, non difficile est intellectu.

Sed negari non potest, miraculorum vim ad probandam Ecclesiae sanctitatem referri non debere nisi constat, ea in Ecclesia catholica sola inveniri, extra Ecclesiam catholicam penitus deesse. Si vero in hoc genere adhuc dubium superest, certe tollitur ab haereticis ipsis, quippe qui suae Ecclesiac praerogativam miraculorum vindicare nullo modo studeant. At apud s. Cyprianum²⁾ et apud s. Augustinum³⁾ existunt loci paucissimi, e quibus Ecclesiae adversarii conjicere se posse putant, etiam extra Ecclesiam catholicam fieri miracula aut saltem fieri posse. Sed frustra Ut Dieringer Professor cl. luculenter demonstravit, ss. Patres, quos nominavi, sicuti pro certo non habent, aliqua signa extra Ecclesiam catholicam reapse facta esse, ita nequaquam docent, ejusmodi res mirabiles effectas esse ad confirmandam doctrinam quae repugnet doctrinae catholicae. Ad summum id fortasse veri simile est, homines quosdam, quamvis in vita sua Christum Dominum non sequerentur, doctrina tamen Christi servata operatos esse aliquid virtutis, quia ut ille qui in nomine Christi daemona expellebat, ad Jesu Christi nomen laudandum vocati fuissent.

Nihil aliud, si quid ego video, sancti scriptores illi annuerint. Sic enim s. Augustinus⁴⁾: „Nec movere debet, quod per quosdam ad hoc templum non pertinentes vel nondum pertinentes, id est in quibus non habitat vel nondum habitat Deus, aliquid virtutis operatur; sicut per illum, qui in nomine Christi expellebat daemona, cum Christum non sequeretur, quem permitti jussit propter multis utilem commendationem nominis sui. Multos quoque ait sibi in lovißima die dicturos „In nomine tuo virtutes multas fecimus“. Quibus utique non responderet, „Non vos novi“, si ad templum Dei, quod inhabitando beatificat pertinerent“. Atque ut ostendat Augustinus, in iis quoque, qui nondum regeneratione membra Ecclesiae facti sint, Deum miro modo operari, Cornelii centurionis mentionem facit, „qui antequam baptizaretur, ut refert s. Scriptura, Angelum vidit ad se missum audiique dicentem, quod exauditae sint orationes ejus et eleemosynae acceptae.“

¹⁾ Vorlesungen über die Methode des akademischen Studiums, zweite unveränderte Ausgabe. Stuttgart und Tübingen, 1813. Cf. O. Zöckler, Beweis des Glaubens, XV. Bd., S. 453. Illic legimus haec: „Der einseitig protestantische Geschichtsbetrachter verfällt leicht der Gefahr jener absprechenden Hyperkritik, welcher schon Flacius und die Magdeburger Centuriatoren als hartnäckige Läugner aller, auch der best bezeugten patristischen Wunder nicht entgingen . . . Auf jeden Fall muss die historische Kritik diese Aussprüche angesehener Kirchenväter (Euseb. H. E. III 57; IV, 18; V, 8; VI, 9. 39. Justin. Dialog. cum Tryph. 4, 85; Apolog. II. 8. Tertullian. ad Scapul. c. 2. Apolog. 23 De coron. mil. c. 11. De idolol. c. 11. Lactant. Institut. divin. II. 6. August. Civ. Dei XXII, 8, 9.) als vollwichtige Zeugnisse für das Vorkommen gewisser ausserordentlicher Erfolge christlicher Glaubens- und Gebetskraft, besonders in der Richtung auf Krankenheilung, gelten lassen . . . Gebeterhörungen verschiedener Art, namentlich Heilungen durch Gebet und Handauflegung, dazu prophetische Eingebungen, divinatorische Träume, Visionen und Ekstasen in hinreichend guter Beglaublichkeit fehlen kaum einem dieser späteren Jahrhunderte christlicher Geschichte. Insbesondere da, wo es sich um Ausbreitung des Christenthums durch Heidenmission, oder auch um grossartige Leistungen innerer Missionstätigkeit handelt, traten solche gut bezeugte Erfolge christlicher Glaubens- und Liebeskraft bald in stärkerem, bald in geringerem Masse hervor . . . Ansgar, der Apostel des Nordens († 865), und Otto von Bamberg, der Pommernapostel († 1139) waren im Besitze solch höherer Gaben und Kräfte. Auch was von mehreren durch Bernhard v. Clairveaux († 1153) vollbrachten Gebetsheilungen, z. B. der Heilung eines blinden Knaben zu Lüttich, der eines Gliederlahmen zu Charlerie bei Provinis berichtet wird, trägt den Stempel vollster Glaubwürdigkeit . . .“

²⁾ De baptismo haeret. Cf. Dieringer, I c, p 444.

³⁾ De praescientia Dei; ep. 187 c 12.

⁴⁾ Ep. 87 cap. 12.

Reliquum est, ut, conferantne miracula et quantum conferant ad sanctitatem Ecclesiae confirmandam atque manifestandam, exponamus. Quae quaestio ut apte recteque absolvatur, tria miraculorum genera pro ratione temporum et rerum distinguenda mihi esse videntur.

Primum quidem est illorum, quibus Deus Omnipotens multorum Christianorum martyrum idque praesertim prioribus Ecclesiae saeculis coram ethnicis illustrabat quibusque Martyrum vitam ac mores esse sanctos sibique acceptos necnon veram esse doctrinam Ecclesiae cui illi adhaerebant, manifesto testabatur. Alterum genus miraculorum cernitur in iis qui evangelizabant pacem. Et hoc genus pertinet ad probandam Ecclesiae doctrinae veritatem ac sanctitatem. Huc spectat quod dictum est de Apostolis et eorum successoribus: „Illi autem profecti praedicarunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.“ Tertio tandem loco enumeranda sunt illa miracula, quae ad invocationem vel per intercessionem servorum Dei fiunt vitamque eorum ac sanctitatem et gloriam laudant et praedicant.

Atqui doctrina Ecclesiae et membra Ecclesiae sanctis moribus exornata ab Ecclesia ipsa mente quidem et cogitatione, nequaquam vero re separari possunt. Unde evidenter apparet, etiam Ecclesiae sanctitati ex miraculis splendidam affundi lucem, et motivum credibilitatis, quod in Ecclesiae sanctitate consistat, vel maxime corroborari miraculis. Quae quum ita sint, Ecclesia etiam ob eximiam suam sanctitatem miraculis illustratam dici debet magnum quoddam et perpetuum credibilitatis et devinae suae legationis testimonium irrefragabile, immo est testis, cui credendum est et creditur; vel, ut verbis *Franzelini*¹⁾ utar, Ecclesia „propter facta et charismata externa“, in quorum numero habentur „multitudo non interrupta miraculorum in factis corporeis, manifestationes charismatum et virtutum heroicarum in factis spiritualibus et in vita perfecta . . . sese exhibet omnibus gentibus fide dignatum ut objectum credendum tum *ut testem fide sequendam*.“ Itaque factum est, ut vi et efficacia hujus motivi, quo Ecclesiae catholicae origo et character supernaturalis evidenter sunt credibiles, commota ad fidem catholicam adduceretur multitudo hominum, quam dinumerare nemo potest, et innumerabiles homines in Ecclesia catholica tenerentur.

Atque suo jure Patres ecclesiastici et Ecclesiae Theologi hanc viam quae est ad Ecclesiam Christi veram persaepe monstraverunt eosque falli, qui eam neglegant, ostenderunt²⁾. Ita s. Augustinus postquam praecclare disputavit de Christianorum virtutibus heroicis, quae pro temporum opportunitate miraculis probatae sint, hoc modo concludit: „Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitamus nos ejus Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus et partim, plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestati damnatis culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi praecolit fides, quid est aliud ingratum esse op̄i atque auxilio divino, quam tanto labore praeditae auctoritati velle resistere?“

Quodsi Ecclesia catholica potissimum etiam propter eximiam sanctitatem miraculis confirmatam magnum motivum credibilitatis est sicuti historia teste est, qui fit illud, ut a multis inter nos viventibus aut ignoretur aut spernatur aut illudatur? Numquid hoc motivum credibilitatis non jam esse stabile firmumque putemus? Minime vero. Causam illius quae nos afficit dolore rei si quaerimus, complura

¹⁾ Theses de Ecclesia Christi, p. 363 sq.

²⁾ De ultitate credendi, cap. 14. Similiter: Justinus Apol. I, 6; Irenaeus Adv. haeres. lib. II. cap. 32; Origenes Contra Cels. pluribus in locis praesertim lib. I. n. 2 et 46 et lib. 2, n. 8; Tertullianus, Ad Scapulam c. 2 et 4; Apol. c. 23; S. Cyprianus, Ad Demetrium et ad Donatum; Lactantius, De vera Sapientia, lib. 4, c. 27; alii.

nobis momenta, quae obstant, occurunt. Desideramus in multis operam atque diligentiam Ecclesiae catholicae plane cognoscendae; non paucos videmus parere quidem suae rationis ac perversae voluntatis auctoritati, non vero auctoritati divinae evidenter manifestatae, i. e. Ecclesiae a Christo institutae et probatae. Et magis forsitan mirum videatur, quod, quum ethnici etiamnunc, simulatque audierunt Evangelium et Ecclesiam cognoverunt, commoveantur, ut festinent ad sapientiam¹⁾ atque complectantur matrem Ecclesiam, contra positive infideles qui vocantur et alii Ecclesiae adversarii in errore permanent in conspectu Ecclesiae catholicae, quae est, ut ait Synodus Vaticana,²⁾ veluti signum levatum in nationes et ad se invitat, qui nondum crediderunt. Cujus rei ratio, ni fallor, maxime in eo posita est, quod singuli et populi qui aut aliquam doctrinæ christianaæ partem retinent aut saltem cultum quemdam per Ecclesiam quandam genitum ac dissipatum adhuc servant, nondum tam miseri pravique facti sunt, ut aut desperarent sulutem suam aut eam in Ecclesia catholica sola inveniri posse quodammodo cogerentur intellegere et agnoscerre. Qui enim in tenebris sedent, maxime desiderant lucem et si iis lux exoritur, cum gudio accipiunt. Nihilominus sperare licet, fore, ut magis magisque eveniat quod de Ecclesia eloquitur Propheta³⁾ hisce verbis: „Ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui.“

¹⁾ S. Augustinus, De utilitate credendi, c. 16

²⁾ De fide cath. c. 3.

³⁾ Jesaj. 60, 3. Cf Franzelin, l. c. p. 364

LECTIONES.

ORINIS THEOLOGORUM.

Dr. Antonius Kranich, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Encyclopaediam s. Theologiae docebit semel hebdomade hora def.
- II. Apologeticae priorem partem tradet bis hebd. horis def.
- III. De creatione mundi perget dogmatice disserere semel hebd. hora X.
- IV. Eschatologiam tractabit ter hebd. hor. III.

Dr. Henricus Oswald, P. P. O.

- I. De statu originali hominis, protoparentum lapsu deque peccato originali disseret ter quaterve hebd. hora X.
- II. Repetitiones instituet examinandi et disputandi causa diebus Sabbathi eadem hora.

Dr. Franciscus Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam primaevae ecclesiae inde a tempore Constantini enarrabit ter hebd. hora IX.
- II. Juris canonici partem generalem tradet bis hebd. hora IX.
- III. De principiis artis christiana disseret semel hebd. hora IX.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Introductionem generalem in sacros Veteris et Novi Testamenti libros dabit bis hebd. horis. def.
- II. Jobi librum interpretabitur bis hebd. hora VIII.
- III. Reliquam partem Evangelii Joannei necnon S. Pauli epistolam ad Galatas explicabit ter hebd. hora VIII.
- IV. Repetitiones exegeticas instituet semel hebd. hora def.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

- I. Primum de peccato, deinde de virtutibus theologicis et religione disseret quinques hebd. hora XI.
- II. Repetitiones et disputationes de selectis theologiae moralis capitibus instituet semel hebd. hora def.
- III. Apologetarum veterum vitas/et opera explicare perget hora def.

Dr. Josephus Kolberg.

- I. Historiam ecclesiasticam primaevam usque ad annum 300 una cum antiquitatibus ecclesiasticis arteque christiana ejusdem spatii pertractabit ter hebd. horis def.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Victor Röhrich, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit ter hebdomade hora XI.
- II. Historiam recentioris actatis inde ab anno 1815 usque ad haec nostra tempora tradet bis hebdomade hora XI.
- III. Exercitationes historico-diplomaticas moderabitur semel hebdomade hora definienda.

Dr. Guil. Weissbrodt, P. P. O.

- I. Rei epigraphicae elementa exponet bis hebdomade hora IX.
- II. S. Augustini Confessionum libros VI—X cum commilitonibus leget bis hebdomade hora IX.
- III. Euripidis Iphigeniam Tauricam interpretabitur semel hebd. h. IX.

Dr. Jos. Krause, O. P. P.

- I. Artem Logicam docebit bis hebdomade hora X.
- II. Psychologiam tractabit bis hebdomade hora X.
- III. Metaphysicam item bis hebdomade hora X.

Dr. Franc. Niedenzu, P. P. O.

- I. Plantarum familias maxime notabiles explicabit bis hebdomade hora VIII.
- II. Exercitationes morphologico-botanicas moderabitur semel hebdomade hora definienda.
- III. Excursiones ad observanda vegetabilia instituet semel hebdomade hora definienda.
- IV. Selecta physices capita experimentis illustrabit bis hebdomade hora VIII.

Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a commilitonibus inito et quaestionum in annum currentem propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum has proposuerat quaestiones:

- I. Ex instituto Regio: Psalmus vicesimus alter (secundum Vulgatam vicesimus primus) explicetur et illustretur.
- II. Ex stipendio Scheill-Busseano: Quae vera sit ecclesiam inter et rempublicam relatio, ex utriusque instituti natura eruatur.

In Psalmo interpretando duo commilitones certamen inierunt, quorum alter opusculum inscripsit hisce Evangelii Lucani verbis: „Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?“ Luc. 24, 26;

alter verbis Davidicis:

„Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israël: Spiritus Domini locutus est per me et sermo ejus per linguam meam.“ II. Sam. 23, 1, 2.

Quaestionibus nonnullis criticis de Psalmi auctore, inscriptione, versione graeca, aliis apte propositis et discussis uterque scriptor, quae in Psalmo insunt de Messia vaticinia, diligenter eruere et respectu habito veterum et recentiorum interpretum illustrare studuit, ita tamen, ut prioris libell-auctor dilucidius rem disposuerit neconon saepius in perpendendis variis interpretum sententiis suo usus sit judicio, quare Ordo Theologorum praemium constitutum ita dividere decrevit, ut priori scriptori paulo majorem, alteri minorem partem adjudicarit.

Rescissis chartis nomina prodierunt: prioris auctoris: Antonius Schulz, stud. theol.

” ” ” ” : posterioris auctoris: Antonius Krüger, stud. theol.

De altera quaestione una dissertatio Ordini oblata est his insignita verbis:

„Reddite, quae sunt Caesaris. Caesari et quae sunt Dei, Deo.“ Matth. 22, 21.

Qui commentationem exaravit verbis Domini inscriptam, unum tantum auctorem legisse videtur, cuius judicia et argumenta, aliorum opinionibus aut praetermissis aut leviter perstrictis, vix ullo instituto examine sua fecit. Ceterum veris dubia, immo evidenter falsa miscuit neque eam disputandi viam ingressus est, quam ipsa rei natura monstrabat. Quapropter Ordo Theologorum judicavit parem labori esse dimidiam pretii partem.

Schedula reclusa nomen prodiit: Jacobus Brzesczynski, stud. theol.

Ordo Philosophorum hanc quaestionem proposuerat: Quando quibusque legibus capitulum Warmiense terras dominio suo subditas colonis viritim locaverit.

Ordini commentationes subjectae sunt duae, insignitae verbis hisce, altera Homeri:

„ . . οὐδὲν γλύκον ἡστ πάτρων οὐδὲ τοξίων
γίγνεται, εἴπερ καίτις ἀπόπλοθι πίστα οἶκον
γαίη ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει ἀπάνευθε τοξίων“,

altera Horatii: „Ille terrarum mihi praeter omnes angulus ridet.“

In priore opusculo e codice diplomatico Warmiensi diligenter excusso, quomodo coloniae in territoriis Mehlsack et Frauenburg processerint, dilucide et perspicue enarratur. Ad quaestionem

multo difficultiorem, quibus legibus terra colonis divisa sit, non tam e fontibus respondeatur, quam e libris virorum doctorum nostrae aetatis, caute tamen ac circumspecte; dicendi genus non caret simplici quadam elegantia. Quapropter Ordo ei praemium integrum adjudicavit.

In altero opusculo territorium Allenstein tantum tractatur. Res plane sunt digestae, fontibus vero et disquisitionibus recentiorum exauriendis minor cura adhibita est. Quapropter Ordo huic scriptioni praemium quoddam secundarium concessit.

Rescissis chartis nomina prodierunt

prioris auctoris: Augustinus Neumann, stud. theol.,

alterius auctoris: Josephus Heppner, stud. theol.

In novum annum hae quaestiones proponuntur:

Ab Ordine Theologorum.

- I. Ex instituto Regio: De sorte aeterna parvulorum, qui absque sacramento baptismi ex hac vita decedunt, historice et dogmatice disputetur.
- II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De jejunii paschalis et quadragesimalis origine variisque in ecclesia primaeva formis ac modis.

Ab Ordine Philosophorum.

Ex instituto Regio: Goethii cum Euripidis Iphigenia Taurica comparetur.

Certantium commentationes sermone latino scribendae et more consueto signatae ante diem primum mensis Decembris anni currentis Rectori tradendae sunt.

03824